

Quare colonus futurus es in terra, et quasi viator declinans ad manendum?

Respondeo dicendum, quod aliquis dicitur viator, ex eo quod tendit in beatitudinem; comprehensor autem dicitur ex hoc, quod jam beatitudinem obtinet, secundum illud 1 Cor. 9: Sic currite ut comprehendatis; et Phil. 3: Sequor autem, si quomodo comprehendam. Hominis autem beatitudo perfecta consistit in anima et corpore, ut in secunda parte habitum est¹. In anima quidem, quantum ad id quod est ei proprium, secundum quod mens videt, et fruitur Deo. In corpore vero, secundum quod corpus resurget spirituale, et in virtute, et gloria, et in incorruptione, ut dicitur 1 Cor. 15. Christus autem ante passionem secundum mentem plene videbat Deum, et sic habebat beatitudinem, quantum ad id quod est proprium animæ, sed quantum ad alia deerat ei beatitudo; quia et anima ejus erat passibilis, et corpus passibile, et mortale, ut ex supra dictis patet². Et ideo simul erat comprehensor, in quantum habebat beatitudinem propriam animæ; et simul viator, in quantum tendebat in beatitudinem, secundum id quod ei de beatitudine deerat.

Ad primum ergo dicendum: impossibile est moveri ad finem, et quiescere in fine secundum idem. Sed secundum diversa nihil hoc prohibet; sicut aliquis homo simul est sciens, quantum ad ea quæ jam novit; et addiscens, quantum ad ea quæ nondum novit.

Ad secundum dicendum, quod beatitudo principaliter et proprie consistit in anima, et secundum mentem; secundario tamen et quasi instrumentaliter requiruntur ad beatitudinem corporis bona; sicut etiam Philosophus dicit, 1 Ethic.³, quod exteriora bona organicè deserviunt beatitudini.

Ad tertium dicendum, quod non est eadem ratio de animabus Sanctorum, et de Christo, propter duo. Primo quidem, quia animæ Sanctorum non sunt passibiles, sicut fuit anima Christi. Secundo, quia corpora non agunt aliquid per quod in beatitudinem tendant, sicut Christus secundum corporis passiones in beatitudinem tendebat, quantum ad beatitudinem corporis.

COMMENTARIUS.

1. Quanquam D. Thomas duo in hoc articulo complectatur, quorum alterum, scilicet,

¹ 1. 2, q. 4, a. 6.

² Art. 4 hujus quæst., et q. 14, art. 4.

³ C. 8, circa fin., tom. 5.

esse comprehensorem, ad perfectionem pertinet; alterum vero, scilicet, esse viatorem; potius videtur supponere defectum vel imperfectionem; tamen hoc posterius solum est quod ad præsentem quæstionem attinet, ubi de defectibus agimus. Utamque vero conditionem conjunxit D. Thomas, quia alterius difficultas ex altera nascitur.

2. Respondet ergo Christum fuisse comprehensorem secundum animam; viatorem vero in quantum illi deerat corporis beatitudo. Circa quam veritatem nihil nobis disputandum superest. Quod enim Christi anima viderit Deum a principio suæ creationis, supra late ostendimus, q. 10; quod autem Christi corpus fuerit passibile, et dotibus gloriæ caruerit, in q. 14 demonstratum est. Et ex his duobus constat fuisse comprehensorem et viatorem. Infra etiam ostendemus fuisse in statu merendi sibi et aliis, quod est proprium munus viatoris. Cætera legantur in D. Thoma, nam littera ejus expositione non indiget. Solum in argumento Sed contra, notetur testimonium Jeremiæ 14: Quare colonus futurus es in terra, et quasi viator declinans ad manendum? In sensu enim omnino proprio et litterali non satis probat conclusionem; quia vel non est sermo de Christo Domino, sed de Deo ut sic, qui per metaphoram colonus vel viator dicitur, quatenus suum populum deserbat; vel certe, si de Christo intelligatur, ut Hieronymus indicat, non est ibi sermo de viatore, eo modo quo Theologi loquuntur, sed in propria et communi significatione. Significat enim, ut dicit Hieronymus, Christum futurum fuisse peregrinum in terra, et parvo tempore terræ usurum hospitio. Ex hoc vero sensu sumpserunt Theologi probabile argumentum; ille enim est viator in ordine ad meritum, qui hoc modo peregrinatur super terram, ut ad Hebr. 11 Paulus indicavit.

QUESTIO XVII

DE CONSEQUENTIBUS UNIONEM, QUANTUM AD EA QUÆ CONVENIUNT CHRISTO SECUNDUM ESSE ET FIERI, IN DUODECIM ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de his quæ consequuntur unionem. Et primo, quantum ad ea quæ conveniunt Christo secundum se. Secundo, de his quæ conveniunt Christo per comparisonem ad Deum Patrem. Tertio, de his quæ conveniunt Christo per comparisonem ad nos. Circa primum, duplex consideratio occurrit.

Prima quidem de his quæ conveniunt Christo secundum esse et fieri. Secunda, de his quæ conveniunt Christo secundum rationem unitatis.

Circa primum quærentur duodecim.

Primo, utrum hæc sit vera: Deus est homo.

Secundo, utrum hæc sit vera: homo est Deus.

Tertio, utrum Christus possit dici homo Dominicus.

Quarto, utrum ea, quæ conveniunt filio hominis, possint prædicari de Filio Dei, et e contrario.

Sexto, utrum hæc sit vera: Filius Dei factus est homo.

Septimo, utrum hæc sit vera: Homo factus est Deus.

Octavo, utrum hæc sit vera: Christus est creatura.

Nono, utrum hæc sit vera: Iste homo, demonstrato Christo, incepit esse; vel fuerit semper.

Decimo, utrum hæc sit vera: Christus, secundum quod homo, est creatura.

Undecimo, utrum hæc sit vera: Christus, secundum quod homo, est Deus.

Duodecimo, utrum hæc sit vera: Christus, secundum quod homo, est hypostasis, vel persona.

Tractat D. Thomas in hac quæstione de modo vere et proprie ac sine periculo erroris loquendi in hac materia, quod per duodecim articulos prosequitur, in quibus de variis locutionibus seu propositionibus in particulari disputat. Ut autem et doctrina ejus facilius intelligatur, et tota hæc doctrina ad certa aliqua principia seu capita redigatur, expediens visum est disputationem quamdam præmittere, in qua de communicatione idiomatum, et de generalibus regulis in ea servandis, disseramus. Illis enim cognitis, facile erit de singulis propositionibus judicare.

DISPUTATIO XXXV,

In quatuor sectiones distributa.

DE COMMUNICATIONE IDIOMATUM.

Communicatio idiomatum vox est a Græcis Patribus desumpta, quæ latine idem significat, quod proprietatum seu attributorum divinarum et humanorum, inter Deum et hominem mutua prædicatio; quia enim in hoc mysterio natura divina et humana in unam

convenere personam, inde consequenter effectum est ut divina de homine, et humana de Deo prædicentur. De hac igitur idiomatum communicatione, primo videndum est quæ et qualis sit. Deinde, quomodo sit exercenda.

SECTIO I.

Quæ et qualis idiomatum communicatio ex mysterio incarnationis consecuta sit.

1. Nestoriani. — Hæretici hujus temporis. — Hæretici sicut in fundamento, id est, in ipso mysterio explicando, errarunt, ita consequenter in communicatione idiomatum exponenda decepti sunt. Nestoriani enim, negantes veram et substantialem unionem inter Deum et humanam naturam factam esse, consequenter negarunt veram et propriam communicationem idiomatum ex illa esse secutam; et ideo vel illam omnino rejiciebant, vel certe improprie et abusive illam explicabant; a quibus non longe distant nonnulli scholastici, qui (ut Bonav., in 3, d. 7, art. 1, q. 1, et Scot., q. 1, referunt) dixerunt, Deum non proprie dici hominem in recto, sed in obliquo, ut ipsi aiebant, id est, non est homo, sed habet hominem; quod est re ipsa negare veram communicationem idiomatum, quia inde evidenter fit non posse vere dici: Deus est homo, sicut non potest dici: Deus est humanitas, licet habeat humanitatem; neque homo potest dici vestis, licet habeat vestem. Si autem illud non vere dicitur, ruit tota communicatio idiomatum, quia in illa veritate fundatur. In quo male etiam audit Durand.: sed quia ille nec veritatem, nec proprietatem negat, commodius illius sententiam tractabimus, explicantes primum articulum D. Thom. Secundo, Eutyches, et alii omnes, qui confundunt naturas, variis modis in hoc errare potuerunt, juxta diversos modos sentiendi in illo errore, ut facile ex iis, quæ supra, q. 2, relata sunt, intelligi potest; et ideo inutile censeo in illis referendis immorari. Error vero hæreticorum hujus temporis prætermitti hoc loco non potest. Illi enim ita exponunt hanc communicationem idiomatum, ut consistere dicant in reali communicatione attributorum naturæ divinæ, facta humanæ naturæ; imo in hac dicunt consistere totum incarnationis mysterium. Unde inferunt per hanc communicationem, non solum prædicari divina attributa de homine, sed etiam de ipsa humanitate, quam vocant omnipotentem, omniscientem, omnipresentem, ut supra etiam, q. 14, indicavi.

mus. Non explicant autem hi hæretici an hæc communicatio mutua sit, id est, an similiter proprietates humanitatis communicentur realiter naturæ divinæ, quanquam ex eis, quæ dicunt, potius hoc negare quam affirmare videantur. Neque etiam satis explicant qualis esse possit illa realis communicatio attributorum Dei ad humanam naturam.

2. Illis ergo omissis, dico primo: ex mysterio incarnationis consecuta est vera ac propria communicatio idiomatum inter Deum et hominem. Hæc conclusio, simpliciter loquendo, est de fide, ut docent omnes Theologi, in 3, d. 4 et 7, et constat ex supra dictis de hoc mysterio; ostendimus enim vere ac proprie Deum esse hominem factum, et unum et eundem esse Deum et hominem; et ex dicendis statim in conclusione tertia hoc amplius constabit.

3. Dico secundo: hæc communicatio idiomatum non consistit in reali communicatione attributorum divinitatis facta humanitati; unde multo minus mysterium ipsum incarnationis potest in illa communicatione consistere. Hanc conclusionem etiam censeo esse de fide. Primo, quia vel hæc communicatio attributorum intelligitur esse per aliqua dona accidentaliter, vel quia ipsamet substantialia attributa Dei per se formaliter communicantur humanitati. Si primum dicatur, primo inciditur in errorem Nestorii, quia jam non ponitur substantialis, sed accidentaliter unio. Secundo, falsum est dicere ipsamet attributa Dei vere prædicari de humanitate, quia non prædicantur nisi participationes quædam illorum attributorum; nam per creatam participationem omnipotentiam non potest vere dici humanitas omnipotens, eo modo quo Deus ipse omnipotens est, ut aperte constat, quia neque ab æquali perfectione sumpta erit illa denominatio. Et simile est de aliis attributis. Quocirca, quamvis secundum veram et catholicam doctrinam, ex unione substantiali humanitatis ad Deum, in qua hoc mysterium consistit, secuta sint in humanitate eximia dona per quæ divinas perfectiones participat, tamen communicatio idiomatum propria ac vera, quam fides docet, non consistit in his donis, neque in prædicationibus ab illis desumptis, quia illa sunt dona creata, et non sunt ipsa essentialia et increata attributa Dei, quæ tamen prædicari debent de homine in vera idiomatum communicatione, alias homo non esset verus Deus, sed tantum per participationem.

4. Si autem dicatur secundum, scilicet, communicationem hanc esse divinorum attributorum, prout in se sunt increata, et per essentiam, hoc etiam potest duobus modis explicari. Primo, ut solum dicantur communicari humanitati, quia illi uniuntur tanquam instrumento, per quod divinitas omnia operatur, et in quo ejus sapientia, justitia, et alia attributa singulari modo relucent. Et hoc totum nec transcendit errorem Nestorii, qui damnatus est, eo quod diceret hanc unionem factam esse per energiam, seu dignitatem; nec sufficit ut vere ac proprie dici possit humanitas omnipotens, et similia. Quia, licet principale agens utatur instrumento, non propterea propria perfectio principalis agentis potest vere ac proprie de ipso instrumento prædicari. Secundo modo posset hoc ita intelligi, ut ipsa essentialia attributa divinitatis ita uniantur humanitati, ut illam constituent formaliter sapientem, omnipotentem, etc. Et hoc imprimis est incidere in errorem Eutychetis, quia esset unio in natura, cum divinitas uniretur humanitati per modum formæ. Deinde est plane impossibile, tum quia generaliter impossibile est, divinam perfectionem, prout in se est, informare naturam creatam; tum etiam quia quibusdam divinis attributis specialiter repugnat, hoc modo formaliter communicari aut prædicari de humanitate; quomodo enim dici potest humanitas actus purus, aut æterna sine principio? Corpus etiam Christi mortuum mansit hypostatice unitum, et tamen tunc non erat capax sapientiæ, justitiæ, aut similibus attributorum; et tempore vitæ mortalis non fuit illi communicata impassibilitas, immortalitas, et similia; non ergo requirit unio hypostatica hanc communicationem omnium attributorum Dei; ergo neque aliquorum, vel unius tantum. Cum enim divina attributa in re idem sint, et unum sit de essentia alterius, fieri non potest ut unum formaliter communicetur sine aliis, dicto genere communicationis; sicut non potest humanitas esse omnipotens, nisi etiam sit infinite perfecta, infinite sapiens, etc. Et confirmatur primo, quia, si unio hypostatica consisteret in hac communicatione attributorum, potius facta esset unio in natura quam in persona, quia hæc attributa divina ad naturam et essentiam Dei pertinent. Unde fit ulterius, non magis unam personam esse incarnatam, quam aliam; fit etiam, omnes tres personas divinas inter se hypostatice uniri, quia omnia attributa divi-

na illis tribus personis formaliter communicantur, quæ omnia sunt absurda et hæretica. Confirmatur secundo, quia, cum hæc unio naturarum et communicatio idiomatum mutua sit, sequitur, etiam naturam humanam formaliter communicare suas proprietates naturæ divinæ, atque adeo divinitatem per hanc unionem factam esse mutabilem, mortalem, finitam, etc. Quæ etiam hæretica sunt; unde August. serm. 195 de tempore, dicit nullam unquam hæresim ausam esse dicere, omnia, quæ erant divinitatis, in humanitatem, et quæ humanitatis erant, in divinitatem esse transfusa; nam hoc modo exinanita esset utraque substantia, et in aliud esset mutata. Quod si fortasse dicant divinitatem esse formam humanitatis, non vero e contrario, et ideo attributa divina denominare humanitatem, non vero e contrario, jam plane concedunt compositionem unius naturæ ex utraque. Sequitur etiam ex illa evasione, Deum non esse hominem, neque mortuum, quandoquidem dicunt naturam humanam non communicare Deo sua attributa; vel necesse est ut fateantur alium modum communicationis idiomatum, qui non sit ipsarum naturarum inter sese, sed respectu ejusdem personæ, quod verissimum est.

5. Dico ergo tertio: vera communicatio idiomatum, quæ ex mysterio incarnationis secuta est, tantum in hoc consistit, ut ratione illius unionis divina et humana prædicata de eadem persona vere prædicentur. Conclusio hæc in re est de fide certa, duas vero habet partes: altera est affirmans hunc modum communicationis idiomatum consecutum esse ex hoc mysterio. Et hæc pars constat ex doctrina Conciliorum omnium, et Sanctorum, quos in superioribus, præsertim disput. 7 et 8, explicando ipsum mysterium, late retulimus; et in Concilio præsertim Ephesino frequenter docetur, et a Cyrillo, multis opusculis et epistolis, quæ de hac materia in eodem Concilio referuntur, præsertim in anathematismis et in defensionibus eorum, et lib. 10 Theol., c. 2; Leone Pap., dict. epist. 10, et serm. de de Nativ. et Passione, frequenter; August., 1 de Trinit., c. 13, et sæpe alias; Ambr., 2 lib. de Fid., c. 4, et lib. 5, c. 8; Damasc., lib. 3 de Fide, c. 4, 6 et 11, et constat ex illis Scripturis, quibus supra ostendimus eundem esse verum Deum et verum hominem; et alia testimonia in sequentibus afferemus. Ratio vero est, quia, quando duæ formæ vel naturæ in eodem supposito realiter uniuntur, de eodem

possunt vere prædicari. Unde fit, ut in ordine ad idem suppositum, seu sub nominibus connotantibus idem suppositum, possint proprietates unius naturæ de individuo seu supposito alterius naturæ prædicari. Ut in formis accidentalibus constat: calor enim et albedo, si eidem supposito, verbi gratia, Petro, insint, de eodem prædicantur; unde fit ut hoc album dicatur calidum, et e converso. Sed in hoc mysterio duæ naturæ uniuntur substantialiter eidem supposito; ergo nomina significantia illas naturas in ordine ad suppositum, ut sunt, homo et Deus, vere prædicantur de illo supposito, cui naturas ipsas applicant, ipsumque in illis subsistere significant; unde etiam fit ut unum de altero inter se vere prædicetur. Quod per syllogismum expositoryum facile colligi potest; nam si Christus est homo, et Christus est Deus, ergo homo est Deus.

6. *Objectio prima.* — Sed duo objici possunt contra hanc rationem, quia, licet nomen significans formam accidentalem vere prædicetur de supposito seu subjecto talis formæ, quia prædicatur denominative, tamen nomen substantiale, ut est homo, non prædicatur nisi de supposito, quod intrinsece et essentialiter constituitur per illam naturam, quomodo prædicatur homo, de Petro; Verbum autem non ita constituitur per humanitatem, ut constat.

7. *Objectio secunda.* — Secunda objectio est, quia in hac materia collectio syllogismi expositoryi non est formalis, ut patet in simili: *Hic Deus est homo; hic Deus est Pater; ergo Pater est homo.* Quæ illatio nulla est, quia syllogismus non est revera expositoryus, quia medium non est perfecte singulare; ex parte enim suppositorum, pro quibus supponit, est commune multis. Idem autem defectus videtur esse in proposito; nam, sicut hic Deus dicit hanc naturam in multis suppositis, ita Christus dicit idem suppositum sub multis naturis.

8. *Responsio prima.* — Ad primam respondetur, antecedens esse verum in supposito connaturali et proprio naturæ substantialis, quod non supponitur naturæ, sed ex illa et subsistentia constituitur tale suppositum; at vero in hoc mysterio suppositum ipsum est per se perfectum, et supponitur humanæ naturæ, per quam non constituitur in esse simpliciter, sed tantum in esse hominis, et hoc satis est ut possit homo de illo supposito vere prædicari, quia ratio hominis in hoc consistit, ut per humanitatem substantialiter cons-

tituatur; illa vero differentia non variat hominis rationem. Exemplum esse potest, quia et substantia corporea, et quantitas ejus vere dicitur quanta, quamvis quantitas per se ipsam, substantia vero per quantitatem, illam denominationem suscipiat.

9. *Responsio secunda.* — Ad secundam respondetur, factam argumentationem expositivam esse optimam et formalem, et exemplum adductum non esse similis formæ, quia, licet Christus sit suppositum multarum naturarum, non tamen supponit pro illis, sed pro eodem indivisibili supposito, quod in utraque natura subsistit, et de illo vere prædicantur termini utriusque naturæ, et propterea etiam prædicantur inter se; at vero hic Deus, licet unam naturam significet, tamen supponit pro distinctis suppositis illius naturæ, de quibus distincta prædicata dici possunt, quæ inter se prædicari non possint.

10. *Objectio.* — *Responsio.* — Secunda pars conclusionis excludit et negat alium modum communicationis idiomatum, et hæc satis probata est ex iis quæ contra hæreticos dicta sunt, quæ amplius in sequentibus sectionibus confirmabuntur et explicabuntur. Adde, in sanctis Scripturis et Patribus non doceri alium modum communicationis idiomatum; quia ex ipso mysterio, ut fides illud docet, non potest aliud genus communicationis idiomatum colligi. Sed objiciunt hæretici, Sanctos interdum dicere, majestatem et gloriam divinitatis, aut efficaciam, vel similia attributa, communicata esse humanitati. Ita loquitur Leo Papa, ser. 4 de Nativ.; August., lib. contra Felician., c. 11; Ruffin. in Expos. Symboli; Cyril., lib. de Incar. Unig., c. 1 et 2, et lib. 10 Thes., c. 9; Basil., Psalm. 21; Gregor. Nyssen., lib. de Anima; Athanas., in Evang., seu concione de Sanctiss. Deipara, et alii frequenter. Et confirmatur, quia alias hæc communicatio idiomatum non esset vera et realis, sed solum in quadam verborum denominatione consisteret. Respondetur, tria velle docere Sanctos in illis locis, non omnia in singulis, sed modo unum, modo aliud, pro locorum varietate. Primum est, humanitatem per hanc unionem esse elevatam ad tale consortium divinitatis in eadem persona, ut ratione illius vere dicatur de homine, quidquid ad Dei gloriam et majestatem spectat; et hæc est vera communicatio idiomatum, quæ a nobis explicata est. Secundum est, illam humanitatem ratione hujus unionis esse dignam summa gloria et honore, et divina quadam adoratione. Ter-

tium est, ratione hujus unionis communicatas esse humanitati divinas perfectiones, per omnia quædam dona. Et hunc esse sensum sanctorum Patrum facile constare potest ex citatis testimoniis, et ex Leone Papa, epist. 83 ad Episcopos Palæstinos; et Cyril., 12 Thesau., c. 15, et lib. 4 in Joan., c. 24; Damasc., lib. 2, c. 22; et Theod., Dialog., ubi refert Gregor. Nyssen. et alios. Ad confirmationem negatur sequela, quia, cum per illas locutiones significetur, utramque naturam vere et realiter esse conjunctam eidem supposito, et unam ac eandem esse personam, quæ per utramque naturam operatur, non potest hæc communicatio dici in solis verbis consistere, sed indicare potius veram et realem unionem, in qua mysterium ipsum positum est.

SECTIO II.

An hæc communicatio idiomatum possit interdum fieri inter abstracta, vel tantum inter concreta.

1. Ex dictis in sectione præcedenti, colligitur primo, unam naturam non posse de alia vere prædicari in abstracto, quod est de fide certum, quia alias sequeretur confusio naturarum; si enim confusæ non sunt, manent duæ; ergo una non est alia; ergo, cum per terminos abstractos significantur duæ ut distinctæ, et non quatenus uniuntur in eodem supposito, non potest una prædicari de alia.

2. Et hinc sequitur secundo, proprietates seu attributa divinitatis, sive in concreto, sive in abstracto, non posse de humanitate prædicari. Est de fide, et sumitur ex illis Conciliis, in quibus definitur, proprietates utriusque naturæ mansisse distinctas et inconfusas, et incommunicabiles alteri naturæ; quæ supra suis locis late adducta sunt ex Concil. Chalcedon., act. 5, et Ephesino, in canonibus seu anathematismis Cyrilli, et ex VI Syn., act. 4, 11 et 17, et ex Concil. Lateran., sub Mart. I, canone 9, et sequentibus; Leone, epist. 10, et aliis. Et ratio colligitur aperte ex dictis, quia humanitas nec est divinitas, nec Deus; ergo neque est omnipotentia Dei, neque immensitas, neque etiam omnipotens, neque immensa; quia, cum hæc sint propria et essentialia Dei et deitatis, non possunt vere dici, nisi de re quæ sit Deus et divinitas. Intelligitur autem hoc de prædicatione propriorum attributorum Dei, prout sunt in ipso; nam si loquamur de participationibus illorum attributorum communicatis humanitati per dona creata, ab illis recte potest humanitas

denominari, et interdum hæc denominatio fit eisdem nominibus quæ Deo tribuuntur. Quomodo aliquando dicitur anima Christi omnipotens, vel sciens omnia, seu infinita, ut videre licet apud Nicetam, lib. 3 Thesaur., cap. 38, quæ omnia intelligenda sunt secundum analogiam quamdam et singularem excellentiam.

3. *Objectio.* — *Responsio.* — Sed contra, nam Christi humanitas dicitur esse deificata; ergo etiam potest dici Deus; sicut aqua, quæ calefacta dicitur, etiam denominatur calida. Antecedens constat ex modo loquendi Sanctorum, Sophronii, in illa epist. quæ habetur in VI Synod., act. 11; Nazianz., orat. 42, ubi dicit, *Christum esse perfectum, non modo propter divinitatem, sed etiam propter humanitatem divinitate delibutam, Jamque effectam, quod id, a quo uncta est, et ut audacter dicam, ὁπίθεον*, id est, simul Deum; et orat. 51, dicit imaginem Dei, quæ est in homine, fuisse deificatam in Christo. Idem Damasc., lib. 3, c. 29, et lib. 4, c. 19: *Ob personalem unionem* (ait), *et caro deificata, ac Deus facta est, divinitatisque cum Verbo sociæ dicitur*. Respondetur ex D. Thoma infra, art. 5, et ex Damasc., lib. 3, c. 27, et lib. 4, c. 19, per illam locutionem non significari mutationem humanitatis in Deum, seu humanitatem factam esse Deum, sed solum esse deitati unitam in persona Verbi, et ideo concessio in hoc sensu antecedenti, negatur consequentia. Neque est simile quod affertur, quia non eodem sensu dicitur humanitas deificata, quo aqua dicitur calefacta; aqua enim formaliter afficitur calore, a quo denominatur calida; humanitas vero non formaliter afficitur deitate, sed solum ratione dispensationis, ut ait Damascenus, id est, unionis personalis, deificata dicitur. Illa vero locutio Nazianz., qua inquit humanitatem esse factam id, a quo uncta est, sano modo interpretanda est in sensu causali; quia, scilicet, ita est unita divinitati, ut idem, qui est Deus, sit etiam homo ratione illius unionis; et idem est sensus Damasceni.

4. Tertio, colligitur ex dictis in eadem sectione præcedenti, proprietates humanitatis, neque in abstracto, neque in concreto, posse proprie prædicari de divinitate in abstracto sumpta. Est conclusio eodem modo certa, et ex eisdem principiis et testimoniis probanda, quibus præcedens; nam hæc duo mutuo se consequuntur, et ita simul traduntur semper a Patribus. Et ratio est eadem, quia divinitas non est humanitas; ergo, licet humanitas sit

passibilis, creata et finita, etc., non propterea potest divinitas, passibilis, creata, finita, etc., denominari; similiter divinitas non est homo; ergo proprietates, quæ conveniunt homini in concreto, non possunt de divinitate ipsa prædicari. Antecedens est communis Theologorum sententia, in 3, dist. 8, ubi specialiter Bonav. et Richard., art. 1, q. 3, et colligitur etiam ex D. Thoma infra, art. 5, et expressius ex Damasc., lib. 3, c. 11; et Nicet., lib. 3 Thes., c. 38. Et ratio est, quia divinitas in abstracto significata ex vi modi significandi non supponit pro persona; ergo in illa propositione: *Divinitas est homo*, ex modo significandi non indicatur conjunctio naturarum in una persona, sed potius confusio illarum inter se; præsertim quia prædicatum *homo*, applicat suum formale significatum ad ipsam divinitatem secundum se. Consequentia vero per se clara est, quia proprietates hominis solum possunt de illa re vere et proprie dici, quæ vere et proprie est et dicitur homo. Et confirmatur inductione, nam omnes istæ locutiones falsæ sunt: *Divinitas est risibilis*, seu, *est mortalis*, vel, *passa est*, aut, *mortua*, ut aperte docent Damasc. supra, et c. 4, 6 et 10; et Nicet. supra, et cap. 33; D. Thomas et alii Theologi, citat. loc.; in his enim omnibus in proprio sensu significatur, ipsi divinitati secundum se, et ratione sui, illa omnia convenire, quod tamen hæreticum est. Antecedens constat ex modo significandi et supponendi termini abstracti, et præsertim quando ex parte prædicati ponitur terminus connotativus. Propter quam rationem hæc est falsa et hæretica: *Deitas generat*, quia generatio tribuitur ipsi divinitati secundum se.

5. *Objectio.* — *Responsio.* — Sed contra, quia vere dicitur: *Deitas est incarnata*; ergo vere dicitur: *Est homo*; ideo enim Verbum est homo, quia est incarnatum. Antecedens vero late tractatum est supra, disp. 7, sect. 2, in fine, ex variis Patribus et Conciliis; et eandem locutionem habet Sophron., sæpe citata epist., et Fulgen., q. 2, ad Ferrandum Diac.; et Petrus Diac., lib. de Incarn., cap. 2. Simile argumentum sumitur ex hac locutione: *Divinitas assumpsit humanitatem*; ideo enim Verbum est homo, quia humanitatem assumpsit; illam vero locutionem admittit D. Thom. supra, q. 3, art. 2, ad 1, et alii Theologi cum Magistro, in 3, dist. 5; et super dictum art. D. Thomæ citavimus plura loca Sanctorum ita loquentium. Confirmatur primo, quia Fulgent., dicta resp. 2 ad Ferran-